

DISSERTATIO CHEMICA  
DE  
THEORIA CALCINATIONIS

QUAM  
CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PRÆSIDE

*Mag. JOHANNE GADOLIN,*  
DESIGN. CHEMIAE PROFESSORE REG. ET ORD., REGG. ACADD.  
ET SOCIETATI SCIENT. DUBLINENSIS, HOLMENSIS ET UPSA-  
LIENSIS MEMBRO.

PRO GRADU

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT  
*JONAS HENRICUS MENNANDER,*  
TAVASTIA - FENNO.

IN AUDIT. MAG. DIE XXV. MAJI MDCCXCIL.

HORIS. ANTE MERID. SOLITIS.

---

ABOÆ TYPIS FRENCKELIANIS.



DISSERTATIO CHEMICA  
DE  
THEORIA CALCINATIONIS.

Nonne universa natura rerum Igne utitur, ut instrumento  
principe, ad producenda ubique sua composita? — Us-  
que adeo, ut ambigi queat, num Ignis magis serviat  
componendis, quam dissolvendis corporibus? sane utrum-  
que efficit.

BOERHAAVE.

§. I.:

*Calcinatio in genere.*

CALCAREI dudum appellati sunt lapides varii, qui vehe-  
menti igne perusiti, vel post refrigerationem admixta a-  
qua, statim restuant & minutissime dehiscent, vel aere acce-  
dente, successu temporis in pulverem subtilissimum fatiscunt.  
Hisce uscis *Calcis vivæ* nomen impositum est; & pulvis per  
fatiscentiam obortus, *Calx* denominatus. Cum vero compre-  
tum esset, plurima quoque alia corpora, justo ignis gradu  
tentata, facile in pulverem converti, *Calcis* nomine genera-  
tim Chemici notaverunt corpus quocunque, ignis ope in  
substantiam pulveream vel friabilem saltem redactum, atque  
operationem, qua talis mutatio succedit, *Calcinationem* dixer-  
unt. Denique quia, præterquam igne, alia atque alia via,  
solidior corporum forma cum pulvere commutari potest, vo-  
cum harum significationem eo usque extenderunt nonnulli,  
ut nomine calcinationis omnem fere pulverisationem chemicam

A

intel-

intelligerent, sive operationem, qua absque vi mechanica ita destruatur nexus partium corporis cujuscunque, ut hoc vel pulvis sit, vel multo quam antea facilius pulverari posit.

Sed pensantes, lapidem calcareum aliaque nonnulla corpora igne usitata pondere decrescere, judicaverunt fixas plurimorum corporum partes, aliis substantiis igne expellendis conglutinatas esse, & proinde his fugatis *calciformes* exhiberi. Itaque deficiente accuratiori cognitione compositionis corporum, subreptionis vitio prisci Chemici putaverunt, substantias, etiamsi nullibi prostent, in corporibus tamen delitescere, ab iisdemque fecerni; neque dubitarunt, quin peracta corporis *calcinatio* certo indicet, hoc partes quasdam volatiles perdidisse, licet simul, rebus non satis perspectis, ad corpora calcinata ea quoque referrent, quae, forma mutata, non modo nullius partis jacturam faciant, sed novis etiam accrescant.

Usque adeo non ita pridem manca fuit theoria calcinationis sensu latiori sumtæ. Cum vero neque eandem a recentioribus Chemicis sufficienter explicata invenerimus, operam B. Lectori non ingratam nos suscepisse speramus, praecipuas operationes, quæ calcinations dici fverunt, proprius examinaturi atque enucleaturi.

## §. 2.

### *Species Calcinationum.*

In diversas species Chemicorum plurimi Calcinationem distribuerunt, secundum varia subsidia quibus peragitur, quantum

tenus scilicet fit per Ignem, vel Aërem, vel Menstrua Salina &c. Hæc autem divisio minus commoda esse videtur, tum quia idem corpus per diversa adminicula calcinatum, sœpe easdem prorsus subeat mutationes, tum quod diversa corpora eodem omnino modo calcinata admodum dissimiliter transformentur: in Chemia enim non tam operandi modi, quam ipsæ corporum mutationes, quæ a proprietatibus ipsorum & partium constituentium natura dependent, maxime respiciendæ sunt. Ut itaque convenientius designare possumus calcinationum species, superfluum non erit paucis generatim considerare causas firmioris vel debilioris corporum nexus, utpote in qua ipsorum varietate genuina calcinationis notio posita fuit.

Vis qua inter se coherent partes homogeneæ corporis cuiusvis, Chemicis *Attractio aggregationis* nominata, generatim quidem tanto est major, quanto sibi propiores sint minimæ particulæ, quoive amplioribus superficiebus sese mutuo contingant. Si itaque hæc in corpore solido ita comparatae fuerint, ut certo tantum ordine inter se collocatae optime congruant, tota necesse est infringatur compages, ubi quacunque de causa, salva corporis compositione chemica, turbetur interna ejusdem structura. Si vero a corpore composito sejungantur una vel plures *partes constitutivæ*, pro re nata fieri potest, ut coherentia residuarum partium aut decrescat, sublato quasi ligamine quo connexæ fuerant, aut increscat, maiore ipsis concessâ libertate sibi appropinquandi. Si denique sese offendant plura corpora diversa, prater aggregationis vires singulorum aliæ simul obveniunt *Attractiones solutionis*

*f. compositionis* appellatae, quibus partes ejusque corporis minimae interdum ita divelluntur, ut cum partibus ceterorum intime incerti possint, omnesque sic junctæ corpus compositum homogeneum sisant. In hoc casu, destructis primum aggregationibus singulorum corporum, totius iterum formati partes nova cohærent vi, quæ vel major vel minor esse potest quam attractio aggregationis cuiuslibet seorsim ante conjunctionem fuerat.

Hinc patet calcinationem iatisime sic dictam triplici via perfici posse, scilicet aut ordine tantummodo partium corporis mutato, aut *resolutione f.* nonnullis corporis partibus remotis, aut *compositione f.* additis aliis substantiis, propterea que non incongrue quatuor ipsius statui *species*:

*Primam* simplicissimam illam, qua præter formam exteriorum nihil mutatur in corpore, vel ubi alia mutatio sensibus non obvenit.

*Secundam* qua pondere simul decrevit, sive aliquam partem constituentem perdit.

*Tertiam* qua ponderis incrementum capit, absorpta scilicet substantia aliena.

*Quartam* e præcedentibus compositam, qua partes nonnullæ corporis abiguntur, aliis sese in ipsum insinuantibus.

### §. 3.

#### *Efficacia ignis in corpora simplicia.*

Quia non tantum omnes calcinationes ignis ope potissimum peraguntur, sed neque compositiones neque solutiones

corporum sine igne vel calore perfici possunt; necessarium ducimus, ipsum ignis efficaciam in corpora generalim primum commemorare. Verbo solum in antecessum monemus, per *Ignem* nos jam nihil aliud intellectum velle, quam ipsum *calorem*, alias *materiam caloris*, & Gallicis Chemicis *Calorizum* appellatum, qui certe in omni igne abundat, plurimosque, si non omnes, per ignem facientes corporum mutaciones producere valet: atque *Simplicia* hic nobis ea audire corpora, quae in igne nulla produnt signa materiae heterogeneæ admixtæ.

Vulgatissima est observatio, corporum calefactorum magnitudinem crescere & densitatem minui, nisi ipsis simul acciderit talis mutatio texturæ vel compositionis, ut propterea arcentur. *Solidi* itaque corporis superficies igni primum contigua in majus statim extenditur spatum, quæ deinde expansio sensim propagatur ad interiores partes, usque dum ignis, qui in omnia corpora penetrare valet, per totam corporis substantiam æqualiter fuerit diffusus. Si vero paullatim augeatur corporis calor, magis magisque discretis particulis confirmatur continue harum mutua attractio, adeo ut tandem nihilo fere æqualis fiat differentia inter attractionis vim qua partes corporis coherent, atque eam vim qua ad illas separandas annititur ignis; & corpus, cuius minimis partibus sic datur summa libertas presiui cuicunque cedendi, *liquidam* formam obtineat. Sed expanditur etiam corpus liquefactum, ad moto fortiori igne, qui, si sufficienter increverit, omnem de-

mum cohæsionem destruit. Partes itaque corporis ad hunc usque gradum calefacti extra sphærā, uti loquuntur, mutuæ attractionis propulsæ, liquidam formam servare nequeunt, sed in *vapores elásticos* convertuntur, donec totum corpus aëream formam acquisiverit.

Fatendum quidem est, nonnulla corpora solida, ne per vehementissimum quidem hucusque cognitum ignis gradum liquefacta fuissent. Hæc vero, si vel omni igni refragentur, non tamen obstant, quominus opinionem plurimorum Phylicorum defendamus: *solidam formam omnibus corporibus esse naturalem, liquiditatem vero & fluiditatem elásticam non nisi igni ipsis inhærenti tribuendam esse*; cui permulta favent phænomena, nullum vero, quod sciamus, repugnat.

#### §. 4.

#### *Efficacia ignis in corpora composita.*

Ubi ad plura corpora contigua idem applicatus fuerit ignis gradus, & ab horum viribus aggregationis, & ab attractionibus eorundem mutuis dependet, utrum liquefcant vel in vapores vertantur, an igni resistant; utrum separentur quæ antea conjuncta fuerant, vel conjungahtur quæ fuerant separata, an vero immutata maneant. Cum itaque pro diversa memoratarum virium ratione varii sint phænomenorum causas, horum præcipios exemplis quibusdam illustrabimus.

Si dato igni exponatur corpus ex duabus substantiis chemice unitis compositum, evenit interdum, *ut altera pars con-*  
*stet*

*situens igni cedat, remanente altera in pristino statu: sic Plumbum ex Cupro secum coniuncto, liquefendo separatur; & Antimonium in vapores conversum Aurum deserit: vel *ut neutra ei ignis gradui pareat*, qui alterutri vel utriusque seorsim resolvendae sufficiat: sic multa Salia cristallina Aquam crystallisationis non perdunt, ne in ea quidem caloris temperatura, qua aqua pura ebullit; & Cinnabaris ei resistit igni, quo & Sulphur & Hydrargyrum in auras abire coguntur: vel denique, *ut corpus compositum ignis vim non sustineat*, quæ neutræ, saltem non alterutri parti mutandæ par sit: sic Terræ varie inter se mixtæ longe facilius sœpe liquefunt quam singulæ seorsim; & plurima corpora fixa, juyante Aqua, volatilia evadunt.*

In quacunque caloris temperatura juxta se invicem collocata sint duo corpora, vix ac ne vix quidem chemice combinari possunt quandiu in statu *soliditatis* ultraque persistant. Si vero corpori *liquefacto* aliud addatur aut solidum aut liquidum, ex binis substantiæ uniformis sœpius componitur, interdum liquida, ut in omnibus *solutionibus chemicis*, interdum solida, ut in *præcipitationibus, crystallisationibus* aliisque *coagulationibus* non raro sieri observamus. Eadem est ratio *vaporum s. fluidorum elasticorum* (in quorum numerum etiam *aëris species* referimus), quæ interdum alia corpora dissolvunt & in vapores convertunt, interdum ipsa sua elasticitate privantur, & cum aliis corporibus sociata, modo in liquida, modo in solida transmutantur.

## §. 5.

*Prima Calcinationis species.*

Hicce præmisſis, ad species calcinationis in §:pho 2:da enumeratas expendendas progredimur. *Primam* harum, qua corpus pulvereum quidem & friabile evadit ceteris vero proprietatibus non mutatur, Calcinationis nomine dignam non judicaverunt nonnulli Chemici, qui partem corporis expellendam in criteriis calcinationis posuerunt. Sed nominis usum, qualem haud pauci Chemicorum dudum adhibuerunt, nobis quoque tantisper liberum esse eo tantum fine postulamus, ut vel inde materiae ſubſtrate lucis quid feneremur.

Itaque obtinet calcinatio in corporibus solidis, quæ firmitatem habent ex peculiari structura interna, dum hæc per repentinae variationes temperaturarum caloris turbatur. Partes namque corporis ſubito igniti inæqualiter dilatantur, quia non eodem ſimil gradu ignis centur. Adeoque motu inter ipsas oborto, deſtruatur neceſſe eſt ordo earundem; & totum corpus, ſi non ſtatim in pulverem, tamen in fruſtula diſſilit, aut rimas faltem agit. Idem evenit ſi ſubito refrigerat corpus calidum: & tanto quidem maiores ſunt hi effectus, quanto promptior fuerit temperaturarum mutatio. Utifatissima eſt hæc operatio inter artifices, qui lapides ſiliceos, aliosve ob nimiam duritiam aliter diſſicillime pulverandos, igne candefactos, aqua frigida ſubito affuſa, friabiles reddere ſciunt,

Notatu dignum eſt Metalla quoque omnium corporum ſolidiffima, hac methodo fragiliora fieri: que tamen, ut neque

que aliis operationibus in pulverem redacta, calces non appellantur, quoniam alia apud Chemicos valuit Calcis Metallicae significatio, de qua nobis infra agendum est.

## §. 6.

*Secunda Calinationis species.*

Corpora per calcinationem leviora facta cum perdidisse substantiam, qua residuae partes connexæ fuerant, experimentis evidenter demonstrari potest. Si enim colligatur quidquid e corpore fugaverit ignis (quod non difficulter fieri potest, siquidem hæc calcinatio etiam in valis clausis succedit), id vel aëris quædam species esse deprehenditur, vel alia substantia ignis ope in vapores resoluta, quæ corpori calcinato iterum adjuncta non solum pondus, cujas jactura facta est, sed etiam formam primitam proprietatesque restituere valet.

Plurima Salia, separata aqua, quæ ipsis formam crystallinam & soliditatem impertiebat, pulvrea fiunt. Et horum quidem aliis calcinandis vehementiore caloris gradu, quem ignem vulgo vocant, opus est, aliis vero perquam modicus calor sufficit: quamobrem veteres Chemici has calcinationes variis nominibus distinxerunt, appellantes scilicet *aëreas* quæ in calore atmosphæræ vulgari, *solares* quæ accidente æstu folis peraguntur, & sic porro. Interdum etiam absque augmēto caloris hæc calcinatio perficitur, addito nempe corpore, quod aquam crystallisationis majorē vi attrahit. Sic Salia nonnulla crystallina acido vitriolico aqua spoliato, vel

**aliis** corporibus aquæ avidis immersa, mox in pulverem fatiscunt.

Præterea in regno minerali multa occurruunt fixorum corporum cum volatilibus connubia, in quæ species hæc calcinationis convenit, quorum unius tantum mentionem facere sufficiat. *Spathum calcareum* e tribus constat corporibus simplicioribus, Terra scilicet calcarea, Acido aëreo & Aqua, quorum ultima bina per ignis vehementiam avelli possunt, remanente terra calcarea pura, quæ friabilis jam facta, pristinam non recuperat cohærentiam, antequam utrisque iterum juncta fuerit. Solius namque aquæ additione in pulverem convertitur subtilissimum; acidi autem aërei nihil suscipere valet, nisi aquam prius imbibatur. Eam itaque ob caussam durescunt Ferrumina Cæmentorum, quod aqua primum sint madefacta, & deinde aëri exposita acidum aëreum ex atmosphæra absorbeant.

Quia vero nonnunquam, recollectis licet omnibus partibus calcinatione disperditis, pulvrea tamen manet corporis forma, si nempe interea ita disjunctæ fuerint ejusdem particulae, ut extra sphæram mutuæ attractionis subsistant, proindeque non coalescere possint: & e contrario interdum evenit, ut abactis partibus volatilibus firmior evadat nexus corporis (cujus exemplum nobis offert *Argilla*), fatis intelligitur, neque formam pulvream corpori datam, neque partium volatilium expulsionem factam seorsim indicio calcinationis peractæ sufficiere.

## §. 7.

*Tertia Calcinationis species.*

Per *Calces metallicas* Chemici intellexerunt corpora substantiis terreis vel vitreis simillima, a Metallis, nitore, densitate & tenacitate privatis orta. Ex analogia vero Salium vel Lapidum calcinatorum concluserunt, corpora quoque metallica, sub calcinatione, materia quadam subtili orbari, quam antea variis nominibus appellaverunt, post *STAHLIUM* vero *Pblogiston s. principium inflammabile*, ad recentissimos usque, omnes fere dixerunt. Itaque eo magis mirandum ipsis fuit, Metalla calcinationi subiecta pondere non tantum non decrescere, sed e contrario notabiliter increscere, neque id solum in igne vulgari evenire, ubi ex substantiis heterogeneis immixtis augmentum ponderis interpretandum fuisset, sed etiam in foco radiorum solarium vitri vel speculi caustici ope collectorum, ubi nullius materie visibilis additamentum occurrit. Proinde nonnulli opinati sunt, gravem esse ipsum ignem, qui per calcinationem in metallo accumuletur: aliis probabilius fuit, *pblogiston* ab omnibus corporibus cognitis eo discerni, quod gravitate negativa polleat, ideoque substantias fecum conjunctas leviores faciat: pauci denique incrementum ponderis ex aëre ambiente, quem sub calcinatione imbibant metalla, derivandum esse afferuerunt.

Dubiæ itaque fuerunt hujus phenomeni interpretationes, usquedum per experimenta recentiorum Chemicorum, & maxime quidem per indefessam operam Illuiris LAVOISIER evin-

ceretur, metalla non calcinari, nisi cum ipsa aëris puri s. respirabilis substantia jungantur. Observatum nimirum est: 1:o quod per ignem solum nullum metallum calcinari posse, nisi simul adfuerit aër respirabilis. 2:o Quod limitata sit quantitas metalli, quæ in data aëris copia, vasis clausa, ignis ope calcinari posse, adeo ut datam fervet proportionem respectu quantitatis aëris. 3:o Quod aër post peractam calcinationem residuus & volumine & pondere diminutus sit, atque ad respirationem animalem minus aptus. 4:o Quod metallum calcinatum pondere tantum accreverit, quantum decreverit aër. 5:o Quod e nonnullis metallis calcinatis ignis vehementioris ope expelli queat aër majori gradu respirabilis, & denique 6:o Quod eæ calces metallicæ ex quibus ignis omnem sub calcinatione absorptum aërem extricare potest, hoc facto, & densitatem & omnes metalli integri proprietates recipiant.

Nullum itaque est dubium, quin sub calcinatione per ignis vim metallum cum aëre ita copuletur, ut ex binis hisce corporibus formetur massa homogenea friabilis, qualis per calcinationem *tertiæ speciei* oriundam esse diximus. Eadem est compositio calcium metallicarum, quæ aliis subministrantibus corporibus formantur, nisi quod proportione materiae aëreæ nonnunquam varient, vel quod peregrinae substantiae aliæ se simul immisceant. Sic quæ per *detonationem*, Nitri ope calcinantur Metalla, ex acido nitri decomposito basin aëris puri arripiunt; & quæ *via bumida* menstruorum ope in calces convertuntur, eandem aëris substantiam interdum ex aqua,

inter-

interdum e menstruis acidis, interdum ex ipso aëre atmosphærico promunt. Idem valet de calcinationibus metallorum *cementatione* s. per vapores aliorum corporum perficiendis.

## §. 8.

*Quarta Calcinationis species.*

Ubi corpus calcinandum plures continet partes diversæ indolis, saepius evenit, ut aliæ per ignem non expellantur nisi aliæ incrementum ex aëre capiant, sic vero succedat calcinatio, quam *compositam* appellavimus. Hujus unum exemplum adferimus inter Metallurgos notissimum, *Toflionis* scil. mineralium metallicarum, quæ præter fixiores partes metallicas Sulphur sovent sollicite separandum antequam purum aliquatenus posse Metallum. Sulphur cum metallis confociatum adeo tenaciter ipsis adhæret, ut sola ignis vi, saltem qua totam quantitatem, expelli nequeat. Ast quia longe interdum infirmior est vis, qua calces metallicas attrahit sulphur, succedit hujus separatio, si ita temperetur ignis, ut metallo calcinando aptus sit, atque aëris accessum admittat. Hinc in torrendis metallis sulphure mineralisatis eam curam adhibent Metallurgi, ut diutinus & lentus sit ignis gradus, mineraque saepius convertendo tractetur, quo ipsam ex omni parte tangat aëris.

Ad calcinationes quoque referri solent *tofiones* & *incinerationes* Corporum Organicorum, quorum partes constitutive & numerosiores esse solent quam corporum Regni Mineralium.

lis, & eam ob caussam cognitu difficultiores, quod pluribus mutationibus sint obnoxiae. Harum partium quae igitur vi in vapores convertuntur, saepissime adeo simul qua naturam mutantur, ut cum reliquis vix iterum conjungi, saltem non in integrum restitui possint. *Totio* itaque corporum animalium & vegetabilium, qua, praeter carbonem friabilem igne non volatilem, omnes fere dissipantur partes, eo differt a *secunda calcinationis specie*, quod magis implicita sit operatio, neque veram corporis compositionem detegat. Si vero, admissa aëre, carbo uratur, totus paullatim cum materia aëris junctus aëream suscipit formam, remanentibus nonnisi terreis quibusdam partibus & salibus fixis communi *Cinerum* nomine notis, quae partes carboni puro essentiales non sunt. Licet itaque *incineratio* carbonum cum calcinationibus metallorum in eo conveniat, quod substantia aëris in utroque casu cum corpore combinetur, illa tamen ad *tertiam calcinationis speciem* nequaquam referri potest, quia compositum non compareret sub forma calcis. Idem valet de aliis corporibus inflammabilibus, quae in aëre combuſta, hujus quidem partem absorbent & secum jungunt, pulvrea tamē non sunt composta.

## §. 9.

*Conclusio.*

Ex allatis præcipuorum calcinationis phænomenorum exemplis clarus patet in eptam omnino esse appellationem Calcinationis sensu latiore sumta; siquidem præter mutationem

nem formæ externæ corporum, quæ inter criteria chemica certe insimum locum occupat, non tantum nulla ejusdem nota alia afferri poscit, sed etiam vaga haec sit & incerta, quia non omnes operationes, quibus solidior corporum forma cum friabili commutatur, calcinationis nomine unquam venerint. Itaque ne nimia latitudine significationis vacillet notio menti infigenda, aptissima videtur esse hujus operationis definitio, quæ nonnisi certam ejusdem speciem complectitur. Igitur *secundam* polissimum *speciem* in §:pho 6:ta memoratam *calcinationem* proprio nominandam esse censemus. Svatet hoc tam antiquorum Chemicorum, qui in describenda calcinatione semper fere subintellexerunt partes corporum volatiles abigenadas, quam Illustrum nostri temporis quorundam Chemicorum auctoritas, qui de perspicuitate Scientiæ concilianda folliciti ab eadem hac calcinatione, proprio Ipsiſ quoque sic dicta, novo nomine *Oxidationis* distinxerunt calcinationes metallicas; & metalla per ipsam mutata non *calces* sed *oxida*, ut-pote acidis maxime analoga, appellaverunt. Nobis vero non vacat plura, quæ hac pertineant, phænomena fusius disquirere.



